



**Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos  
Distributa

**Ilsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCCXXI. Discipuli Primatu contendunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

catorē ab errore viae suae , salvabit Animam ejus à morte ,  
 Operiet multitudinem peccatorum . Sic etiam Animæ , ex  
 Stagno ignis ardoris extractæ , in ore suo Staterem  
 continent , quem Oratione sua , & Patrocinio apud  
 DEVVM exhibitent .

## MEDITATIO CCCXXI.

*Discipuli de Primatu contendunt.*

Matth. 18. v. 1. Marc. 9. v. 32. Luc. 9. v. 46.

**PUNCTUM I.** *Intravit autem cogitatio in eos , quis eorum major esset. At JESVS videns cogitationes illorum*  
*¶c. Luc. 9. v. 46. Cùm domi essent , interrogavit eos : quid in via tractabatis ? At illi rasebant. Siquidem in via inter se disputeraverant , quis eorum major esset. Marc. 9. v. 32.*  
 Ter Discipuli de Primatu contendisse leguntur : primò locis citatis ; tum apud Matthæum c. 20. v. 20. denique apud Lucam c. 22. v. 24. Unde patet , quomodo etiam viri Perfectionis studiosi sibi cavere , & frequenter pugnare debeant contra superbiam , & eminendi appetitum . Inprimis ergo cùm quasi à longè irrepere tentat cogitatio eminendi super alios , mox occludendus est aditus ; qui si concessus illi aliquando sit , mox æmulationem , dissensionem , & contentiōnem parit . Itaque post hæc sic denuo expellenda est . Injiciendus primò est pudor de ipsa superbia ; quemadmodum Christus Discipulis iniecit , dum ostendit ipsis , se cogitationes eorum vidisse , & contentionem audivisse , & de hac ipsa tamen quæsivit , non quasi ignorans , sed quasi turpitudinem exprobrans . Unde mox puduit Discipulos , nec ausi sunt respondere ; nam

nam etiam superbi agnoscunt turpitudinem superbiæ, pudetque ipsos, se tales videri: quia verò Divinos oculos evitare non possunt, ideo saltem coram DEO confundantur, & suimet ipsos pudeat.

PUNCT. II. *In illa hora accesserunt Discipuli ad JESUM* (utpote quos teste Marco residens vocavit) dices: *Quis putas, major est in Regno Cælorum?* Quia pudit Discipulos ad interrogationem Christi responde-re, idcirco transferunt quæstionem. Ex hac tamen optimus Magister occasionem sumit, alio medio cogita-tionem ambitiosam è cordibus Discipulorum en- ciendi. Respondet enim apud Marc. c. 9. v. 34. *Si quis vult primus esse: erit (sive studeat esse) Omnis novissimus & minister.* Itaque in contrarium nitendum est, & appetitus excellentiæ appetitu & studio Abje- ctionis ac Humiliationis vincendus. Ut verò hujus difficultatem mitigaret Christus, exemplo parvuli, comminatione periculi ac damni, promissione Præmij faciliorem ac amabiliorem reddit: *Et advocans IESUS parvulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Ames dico vobis, nisi converte fueritis, & efficiamini, sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum.* *Quicunque ergo humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic est major in Regno Cælorum.* Matth. 18. v. 2. Intuere itaque exemplum parvolorum, tam qui ætate, quam qui per Virtutem, & Humilitatem parvuli sunt. Perpende commini-tionem; quia superbi sinuntur labi in gravia peccata, quæ damnationem inducunt. Observa Præmij pro-missionem, quia Humilitati commensurantur Auxilium Gratiarum ad cæteras Virtutes; his verò com-mensuratur magnitudo Gloriæ in Regno Cælorum.

PUNCT. III. *Et ait illis: Quicunque suscepit pa-*

rum istum in Nomine meo , me recipit : *O* quicunque me re-  
 ceperit , recipit eum , qui me misit . Nam qui minor est inter  
 vos omnes , hic major est . Luc . 9 . v . 48 . Ecce novum in-  
 citamentum ad Humilitatem , & ad appetitum con-  
 temptus : nempe summum Christi , ac Patris Cæle-  
 stis Beneplacitum , ac Amor erga hominem per ve-  
 ram Humilitatem parvulum ; qui propterea  
 tantò major apparet in oculis DEI , quantò minor est  
 in oculis suis . Ideo quidquid tali fit , id Christus sibi  
 æstimat factum ; quidquid autem Christus sibi æsti-  
 mat factum , id etiam sibi æstimat factum Cælestis  
 Pater . Non ergo tibi sit satiis , quod executus sis illud  
 S . Pauli monitum : *Malitia parvuli estote* 1 . Cor . 14 . v .  
 20 . si scilicet te humiliter subjecisti Deo , sub gravi  
 peccato præcipienti , qui omnium infimus Humilita-  
 tis gradus est : aut si tantum te subjecisti Deo , sub  
 veniali solùm præcipienti , qui paulò altior gradus est ;  
 ita tamen uterque necessarius , ut merito Christus  
 dixerit : *Nisi conversi fueritis , O efficiamini , sicut parvuli ,*  
*non intrabitis in Regnum Celorum* : donec scilicet conver-  
 si , Pænitentiam & Satisfactionem humili ac contrito  
 corde præstiteritis . Sed insuper necesse est , ut , sicut  
 parvuli agnoscant se parvulos esse , & tales etiam ha-  
 beri volunt ; ideoque sibi minima vestimenta dari ,  
 aliisque ejusmodi staturæ suæ accommodata tribui  
 volunt : ita juxta Christi Doctrinam : *Si quis vult Pri-  
 mus esse , erit omnium Novissimus , O Minister* : id est , mi-  
 nimus ac novissimus haberi , minima officia ac mini-  
 steria sibi committi , & minima sibi dari cupiat . Cùm  
 enim Christus ipse factus sit *Novissimus virorum* , teste  
 Isa . c . 53 . v . 3 . *Et Abiectio plebis Ps . 21 . v . 7 . Si tu vis*  
*minimo major esse , vis esse major Christo* . Ne ita-

Q

que

que servus sit major Domino , & discipulus sit supra Magistrum , ita tecum statue : Quia tertius est modus Humilitatis absolutissimæ , decet , ut priores duos jam adeptus , etiamsi nullo superaddito Laus Dei par foret , ad majorem tamen Imitationem Christi eligam potius cum eo Paupere , Spreto , & Illuso , Pauperiem , Contemptum , & Insipientiæ titulum amplecti , quam opes , honores , & Sapientiæ æstimationem . Ita S. Ignatius , ut refertur in Libello Exercitiorum , secum statuit . Et hoc modo Christus inter Discipulos sustulit disputationem , qua contendebant , *Quis eorum major esset* : nempe ut per appetitum Contrarij , qui vult Primus esse , sit omnium novissimus , & Minister .

## M E D I T A T I O CCCXXII.

*Signa facientes in Christi Nominé  
non prohibendi.*

Marc. 9. v. 37. Luc. 9. v. 49.

PUNCTUM I. Respondit ei Joannes , dicens : *Magister vidimus quendam , in Nominé tuo ejcentem demonia , qui non sequitur nos ( id est , te nobiscum , unde Lucas dicit : Qui non sequitur nobiscum ) & prohibuimus eum . JE-SVS autem ait : Nolite prohibere eum .* Ex eo , quod Christus parvulum ætate & Humilitate benevolè suscipi voluerit , Joannes occasionem sumpsit , interrogandi & reponendi , an pariter recipiendus sit is , vel an non potius rectè ab eis factum sit , quod ipsi Discipuli non admiserint ad Prædicationem Evangelij , & dæmoniorum ejectionem , eum , qui à Christo non erat